UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum ille qui semel est excommunicatus, excommunicari possit vlterius?
6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Visual Library

communicatione, eſt ſeparatio à ſacramentis Eccleſiæ. Sed aliquando tota ciuitas interdicitur à diuinis. Ergo & excommunicari vniuerſitas aliqua poteſt.

SED contra eſt gloſſ. Auguſt.* Matth. 13. quæ dicit, quòd princeps, & multitudo non eſt excommunicanda.

gloſ. or. ſup. illud Matt. 13. Ne forte colligētes zizania, et ex Auguſt. epi. 75. ad auxilium. et habetur 24. q. 3. c. 1. Si habes. 24. q. 3. c. Quod autem.

RESPONDEO dicendum, quòd excommunicari non debet aliquis niſi pro peccato mortali. Peccatum autem in actu conſiſtit. Actus autem non eſt communitatis, ſed ſingularium perſonarum, vt frequenter: & ideò ſinguli de communitate excommunicari poſſunt, non autem ipſa cōmunitas*. Et ſi etiam quandoque actus ſit alicuius totius multitudinis, vt quando multi nauem trahunt, quam nullus per ſe trahere poſſet: tamen non eſt probabile quòd aliqua communitas ita tota ad malum conſentiat, quin aliqui ſint diſſentientes. Et quia non eſt Dei, qui iudicat omnem terram, vt condemnet iuſtum cum impio: vt dicitur Geneſ. 18. ideò Eccleſia, quæ Dei iudicium imitari debet, ſatis prouidè ſtatuit, vt communitas non excommunicetur, ne cum lolijs & zizanijs, ſimul eradicetur & triticum.

Ad primum ergo patet ſolutio ex dictis*.

in corp. art.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſuſpenſio non tanta pœna eſt, quanta excommunicatio: quia ſuſpenſi non fraudantur Eccleſiæ ſuffragijs, ſicut excommunicati*. Vnde etiam aliquis ſine peccato proprio ſuſpenditur, ſicut & totum regnum ponitur ſub interdicto pro peccato Regis: & ideò non eſt ſimile de excommunicatione & ſuſpenſione.

vt patet ex ar. 2. huius q. corp. et loco ibid. citato.

ARTIC. VI.

Vtrum ille qui ſemel eſt excommunicatus, vlterius excommunicari poſſit? 90

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quòd ille qui ſemel eſt excommunicatus, vlterius excommunicari non poſſit. Nam 1. Cor. 5. dicit Apoſtolus, Quid enim mihi de his qui foris ſunt, iudicare? Sed excommunicati iam ſunt extra Eccleſiam. Ergo ſuper

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

per eos Eccleſia iudicium non habet, vt poſſit eos iterum excommunicare.

¶ 2 Præterea, * Excommunicatio eſt ſeparatio quædam à diuinis, & à communione fidelium. Sed poſtquam aliquis eſt priuatus aliquo, non poteſt iterum illo priuari. Ergo vnus excommunicatus non poteſt iterum excommunicari.

** vt dictum eſt q. præced. art. 1.*

SED contra, Excommunicatio, quædam pœna eſt, & medicinale remedium *. Sed pœnæ omnes, & medicinæ iterantur, cùm cauſa exigit. Ergo & excommunicatio iterari poteſt.

** vt dictum eſt q. præced. ar. 3. cor.*

RESPONDEO dicendum, quòd ille qui excommunicatus eſt vna excommunicatione, poteſt iterum excommunicari, vel per eiuſdem excommunicationis iterationem, ad maiorem ſui confuſionem, vt ſic à peccato reſiliat: vel propter alias cauſas. Et tunc tot ſunt principales excommunicationes, quot cauſæ pro quibus aliquis excommunicatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apoſtolus loquitur de paganis, & alijs infidelibus, qui non habent characterem, per quem annumerati ſint populo Dei. Sed quia character baptiſmalis, quo quis populo Dei annumeratur, eſt indelebilis; * ideò ſemper remanet baptizatus aliquo modo de Eccleſia: & ſic Eccleſia ſemper de ipſo iudicare poteſt.

† vt dictū eſt in 3. p q. 63. ar. 5.

Ad ſecundum dicendum, quòd priuatio quamuis non recipiat magis & minus ſecundum ſe, recipit tamen magis & minus ſecundum cauſam ſuam. Et ſecundum hoc excommunicatio poteſt iterari; & magis eſt elongatus a ſuffragijs Eccleſiæ qui pluries eſt excommunicatus, quàm qui ſemel tantum.

QVÆST. XXIII.

De participatione cum excommunicatis, in tres articulos diuiſa.

DEinde conſiderandum eſt de participatione cum excommunicatis.

¶ Circa quòd quæruntur tria.

¶ Primo, vtrum liceat excommunicato participare in

cap. nulli c. cum deſideres. c. ſignificauit, c. nuper, c. inter alias. de ſentēt. excom.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN